BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

erunt in eis circulis nec umquam
extrahentur ab eis. Pones que in ar-
cham testificationem quam dabo tibi.
Facies propiciatorium de auro mundis-
simo. Duos cubitos et dimidium
habebit. Longitudo eius semisse
et cubitum latitudo. Duos quo-
que cherubin aureos et productiles
facies ex utraque parte oraculi. Che-
rub unus sit in latere uno oraculi
et alter in altero. Utrumque latus
propiciatorii tegant extendentes
alas et operientes oraculum, respi-
ciantque se mutuo versis vultibus
in propiciatorium quo operienda est
archa domini. In qua pones testimo-
nium quod dabo tibi. Inde precipiam
et loquar ad te super propiciatorio scilicet ac
medio duorum cherubin qui erunt
super archam testimonii cuncta que man-
dabo per te filiis Israel. Facies et mensam
de lignis sethim habentem duos cubi-
tos longitudinis et in latitudine cu-
bitum et in altitudine cubitum ac se-
missem. Et inaurabis eam auro
purissimo. Facies que illi labium au-
reum per circuitum et in ipso labio co-
ronam interrasilem altam quatuor
digitis et super illam alteram coronam
aureolam. Quatuor quoque circu-
los aureos parabis et pones eos
in quatuor angulis eiusdem mense
per singulos pedes. Subter coronam e-
runt circuli aurei et mittantur vectes
per eos ut possit mensa portari. Ipsos
que vectes facies de lignis sethim et
circumdabis auro ad subvehendam
mensam. Parabis et acetabula et
et fialas thuribula et cyatos in qui-
bus offerenda sunt libamina ex au-
ro purissimo. Et pones super mensam
panes propositionis in conspectu meo
semper. Facies et candelabrum ducti-
le de auro mundissimo, hastile eius et
calamos et scyphos et sperulas ac lilia
ex ipso procedentia. Sex calami egre-
dientur de lateribus, tres ex uno latere
et tres ex altero. Tres scyphi quasi in
modum nucis per calamos singulos,
sperule que simul et lylium, et tres simi-
liter scyphi in star nucis in calamo
altero, sperulaque et lylium. Hoc erit
opus sex calamorum qui producen-
di sunt de hastili. In ipso autem cande-
labro erunt quatuor scyphi in nucis
modum, sperule que per singulos et ly-
lia et sperula sub duobus calamis
per tria loca qui simul sex fiunt pro-
cedentes de hastili uno. Et spere igi-
tur et calami ex ipso erunt universa
ductilia de auro purissimo. Facies
et lucernas VII et pones eas super
candelabrum ut luceant ex adver-
so. Emunctoria quoque et vasa
ubi que emuncta sunt extinguantur
fiant de auro purissimo. Omne pon-
dus candelabri cum universis vasis
suis habebit talentum auri mun-
dissimi. Inspice et fac secundum exemplar
quod tibi in monte monstratum est.

Tabernaculum vero XXVI
ita facies. Decem cortinas
de bysso retorta et yacinc-
tina ac purpura cocco que bis tincto
variatas opere plumario facies.
Longitudo cortine unius habebit XX-
VIII cubitos, latitudo quatuor cubi-
torum erit. Unius mensure fient
universa tentoria. Quinque cortine sibi
iungentur mutuo, et alie quinque